

CONCILIIUM PARISIENSE

anni 1429.

I. ANNO celebrationis Concilii hujus, Carolus VII. Francici regni jus habebat, non tamen possessionem regni, nisi ex parte patris; Angli enim majori parti dominabantur. Quos tamen sequentibus annis Carolus paullatim toto regno exegit. Concil. istud sub Anglica dominatione peractum est. Parisiis enim degebat nomine Regis Anglorum Dux Bedfordia, titulo decoratus Regentes per universum Francie Regnum; summum tunc existentem Pontifice Martino V. Imperatore autem Sigismundo. Concilio huic Provinciali praesedit Archiepiscopus Senonensis Joannes, Suffraganeum tunc temporis habens Parisensem Episcopum, Joannes hanc imperans Synodum sic praefatur: Cum quibusdam Canonibus santhionibus cautum existat, quod omnes & singuli Christianitatis Archiepiscopi de triennio in triennium sua Concilia Provincialia sub certis penis, canonice tamen cessante impedimento, celebrare teneantur, in quibus de criminibus corrigendis, ac moribus in Clero & populo reformandis, diligenter tractari oporteat, fueruntque talia Concilia a multis retroactis temporibus quodam desidio neglecta praetermissa, qua ex re multa & varia delicta incorrupta remanserunt, & plurimum in magnam animarum periculum invaluerunt, ac de die in diem invalescunt, propter quae verisimiliter praesumitur iram Domini super Nos, & super gregem nobis ab eo creditam, in eorumdem poenam & vindictam delictorum descendisse. Quapropter Nos cupientes circa praedicta, quantum nobis adesse possibilitas, de opportuno remedio providere, hujus nostre Senonensis Provincia Concilium Parisiense convocamus, &c. Etenim Concilium Lateranense sub Innocentio III. jubet, quemadmodum & cetera quae praecesserunt, singulis semeltribus Provincialibus Synodos renovari. Matificensis secundum Concilium anni 585. canon 20. decernit, singulis trienniis celebrari Synodos Provinciales: Unversae (inquit) fraternitatis deliberatione complacuit, ut ad Synodum post triennium tempus omnes conveniant. Concilium Lateranense quartum oecumenicum sub Innocentio III. can. 6. Sicut olim (ait) a Sanctis Patribus noleatur institutum, Metropolitanis singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. Sed quo numero? Non exprimit. Quod enim ait Concilia in pluribus, potest ad plures Metropolitanos & Provincias plures referri.

2. Can. I. Gloriosissimi Ecclesiae Doctores, ac plurimi ex Sanctis antiquis Patribus, servitium Ecclesiasticum ad laudem & gloriam DEI Creatoris nostri, & ejus benedicti Filii JESU Christi Domini nostri sancte & laudabiliter instituerunt & ordinaverunt. Quod quidem servitium tanto sanctius & reverentius fieri oportet, quanto ille, ad cujus sit laudem & honorem, sanctior & gloriosior existit. Sane prout quibusdam referentibus, & per experientiam didicimus, plures Ecclesiarum ministri non attendentes Majestatem & dignitatem illius ad cuius sunt deputati famulatum, in suis officiis Ecclesiasticis minus devote & reverenter se habent, quod in plurimum scandalum ac exemplum perniciosum cedere dignoscitur. Quapropter nos attendentes, quod licet summo Deo Creatori nostro digne servire non possimus; tamen quantum humana sunt fragilitas, eidem debemus cum devotione & sanctitate prestare famulatum: omnibus tam Cathedralium, quam Collegiarum, ac ceterarum quarumcumque Ecclesiarum Clericis & ministris praecipimus sub poena privationis suarum distributionum, vel alia arbitrio Superiorum infirigenda, quatenus amodo divinum servitium in Ecclesiis suis tractum atque devote & horis congruentibus dicant atque decantent, & in Psalmorum decantatione pauas faciant in medio versum, prout convenit: nec pars Chori psallitura alium versus incipiat, antequam ab alia parte sit omnino alius versus finitus; Capitula autem supradictarum Ecclesiarum, vel eos, ad quos de jure vel consuetudine spectat divinum Officium ordinare in Domino exhortamur, quatenus praedictum statutum, & alia sequentia, qua divinum Officium concernunt, faciant cum solita diligentia a suis Clericis irrefragabiliter observare.

Huc pertinet constitutio Concilii generalis Lateranensis quarti sub Innocentio III. can. 17. relata in c. dolentes, de celebrat. Miss. r. sic enunciata: Dolentes referimus, quod non solum minores quidam clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Praelati, circa comestiones superfluas, & confabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) sepe medietatem nostris expendunt: & somno residuum relinquentes vix ad divinum concertum avium ex-

citantur, transcurrentes undique continua syncope Matutinum. Sunt & alii, qui Missarum solemniam vix celebrant quater in anno, & (quod deterius est) interesse continentur: & si quando dum haec celebrantur, intersint, Chori silentium fugientes, intendunt exterius colloquutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hac igitur & similia sub poena suspensionis penitus inhibemus, districte precipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote. Quae verba Glossa in decretalibus sic exponit: Studiose, quantum ad officium oris, id est sine syncope, devote quantum ad officium cordis. Certe ipsamet psalmodia, & sanctorum Canticorum cantus permultum confert mentibus rebus vanis non additis, ad devotionem, & pios cordis affectus, per quos Christi gratia elicitur, & in cordis in ima effunditur. Praestat hac in re Sanctum audire Doctorem Ecclesiae Ezechielem: Cum Helisaeum Prophetam Israhel de futuris requireret, & Prophetie tunc ei spiritus accesserit, psaltem fecit applicari, ut Prophetie ad hanc spiritus per laudem psalmodiae descenderet, atque ejus animum de venturis repletet. Vox etenim psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotentem Domino ad cor iter paratur, ut intentae menti vel Prophetie mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Quod enim Latine Salutare, hoc Hebraice JESUS dicitur. In Sacrificio igitur laudis fit JESU iter ostensionis; quia dum per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad JESUM in fine pervenitur.

Can. II. Caveant etiam supradicti Clerici a locutionibus, derisionibus, & garrulationibus, quas in Ecclesiis plures ex eis facere consueverunt. Quod si moniti abstinere minime voluerint, unus diei sint eo ipso distributionibus privati. Prohibemus insuper sub poena privationis fructuum beneficiorum suorum per unum mensem, ne de cetero supradicti Clerici facere praesumant derisorios & inhonestos ludos, quos in festis Sanctorum quidam ex ipsis facere consueverunt, praecipue autem a supradictis ludis & aliis quibuscumque irrisibus, choreis, & cantilenis abstineant, cum divinum celebratur Officium, cum Deo nostro satis non valeamus deservire, cui nec Angeli famulari sufficiunt, nec ejus magnitudinem valeat ambitus colorum comprehendere.

Can. IV. Cum Ecclesiastici viri, & maxime hi qui in Ecclesia Dei beneficia obtinere dignoscuntur, aliis debeant devotionis & sanctitatis exemplum praebere, illi merito reprehensione digni sunt, qui licet vita sustentationem ab Ecclesia receperint; tamen ad divinum servitium peragendum leni sint, frigidi ac remissi: Sane ad nostrum devenit auditum, quod aliquibus ex eis, qui Canonicatus obtinent & Praebendas, sufficit ad lucrandas suas distributiones, in aliqua trium praecipuarum Horarum, scilicet Matutinis, Missa aut Vespertis, introitum & exitum, vel eorum alterum facere, nulla vel modica quidem in choro facta residentia, quod in magnum cedit Ecclesiasticorum derisum atque contemptum: quapropter nos tales abusus ab Ecclesia Dei & ejus ministris exulare cupientes, omnia Capitula tam Cathedralium, quam aliorum Ecclesiarum in Domino exhortamur, quatenus circa praedicta sic provideant, etiam per privationem distributionum, quas in illa hora lucrarentur, quod apud Dominum valeat meritum reportare.

3. Can. VII. Insuper hortari & admoneri jubemus Ecclesiasticos viros per suos Superiores, quatenus Ecclesiarum vasa & ornamenta munde & honeste teneant; & praecipue ea, quibus ad Sacrificium Altaris opus habent. Et quod in locis sacris, etiam & religiosi, choreas, cantilenas, ludos & mercatores fieri non permittant.

Hac in re memorabilis est canon 19. Concilii generalis Lateranensis quarti sub Innocentio tertio, sic dicens: Relinqui nolumus incorruptum, quod quidam Clerici sic exponunt Ecclesias suppellectilibus propriis atque etiam alienis, ut potius domus laice quam Dei Basilica videantur; non considerantes, quod Dominus non stenebat ut transferrentur per templum. Sunt & alii, qui non solum Ecclesias dimitunt inculpata, verum etiam vasa ministerii, & vestimenta ministrarum, ac pallas Altaris, necnon & ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrores. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi suppellectilia in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Praecipimus quoque ut oratoria, vasa, corporalia & vesti-

& vestimenta praedicta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris fordes negligere, quae dedecent etiam profanis. Sanctus Maximus martyr in libro suo Ecclesiasticae mytalogiae proxime confert Ecclesiam Christi cum opificio mundi hujus magni, & cum homine, qui parvus Mundus ac microsophus appellatur; ut quemadmodum in utroque mundo duo spectantur, unum quidem intelligibile ac invisibile, alterum visibile & corporeum; similiter ostendit duabus Ecclesiam partibus constare, quarum nobilior quidem sit spiritualis, & cui propria sit sanctitas; altera vero sit materialis, & corporea; quae cum ad divinum quoque cultum referatur, exigit pro sua proprietate decorem & decorem, ut ibidem loquitur cap. 3. id est decorem & munditiam. De sanctitate quidem, quae spiritualis perfectio est, sic enunciat Psal. 92. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum. At vero de externo decore Psal. 25. Domine dilexi decorem domus tuae. Exemplo sit Nepotianus a sancto Doctore Hieronymo laudatus in ejus ad Heliodorum epistolio: Erat (ait) sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimento tersa, si janitor creber in porta, si vela semper in hostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculentia, (& post pauca interjecta:) Basilicas Ecclesiae & Martyrum conventicula diversis floribus & arborum comis, vitium pampinis adumbrabat, ut quidquid placebat in Ecclesia tam dispositione quam visu, Presbyteri laborem & studium testaretur.

Can. XXV. Quia Dominus in Veteri Testamento & Sabbata & alias festivitates sanctificari voluit, & districte praecipit in eisdem ab omni opere abstinere: & in Novo Testamento Dominicales dies aliaque festa ab Ecclesia indicta eorundem loco successerunt, quae a pluribus male & negligenter observantur: Nos ad honorem Dei & Sanctorum suorum jubemus & districte praecipimus, supradictos Dominicales dies & Sanctorum festa, & praecipue ea quae ad honorem Christi, & ejus gloriose Genitricis Mariae, & suorum Apostolorum instituta sunt, una cum aliis festivitatis, quae sancti festa Apostolorum consueverunt observari, ab omnibus subditis nostris cum omnimoda reverentia observari; abstinendo scilicet ab omni opere servili & manuali, ac divinarum auditioni cum matuta devotione vacando; illum ab usum penitus prohibente, quo marescalli & barbitonores supradictis Dominicis & aliis B. Mariae & Apostolorum & supradictis festivitatis credunt sibi licitum fore sua ministeria, etiam propter necessitatem, exercere: circa quem volumus per Ordinarios de opportuno remedio provideri, ipsos monitione praevia corrigendo.

4. Can. XXVII. Ad nostrum devenit auditum, quod in hac Senonensi provincia elemosynarum quosdam abusus huc multiplicare non cessant, quodque praedicationis officium, licet ignari & illiterati sint, usurpare non verentur, & per vana mendacia & alia ficta blandimenta pauperum simplicium pecunias extorquent; & quod deterius est, Sanctae Sedis Apostolicae, & aliorum inferiorum similiter bullas ac litteras falsificat & corrumpunt in plurimum scandalum & gravamen. Quapropter nos contra tales nequitias & abusus providere volentes, Episcopis hujus provinciae praecipimus, quatenus a suis subditis curatorem Ecclesiarum rectoribus faciant inviolabiliter observari iura & canones ac statuta, quae contra supradicta sancte & laudabiliter providerunt, & c. cum ex eo, Clementinum abusionibus, de panis. & remiss. Nolumus tamen populi devotionem per ipsos Curatos vel Rectores quam gerunt ad Sanctos, quorum supra dicti quosdam procuratores existunt, quomodolibet impediri.

Dolosos quosdam artes septennero sed inanibus conatibus reprimere anteriora huic Concilia conata sunt, Concilium nimirum generale Lateranense quattum, can. 63. & refertur c. cum ex eo, de poenit. & remiss. Et Concilium Viennense pariter generale, relatum in c. abusionis, Clem. de poenit. & remiss. Itemque Burdigalense anni 1255. can. 2. & Burgense anni 1279. canon. 27. Sed cum nulla praecautio renascentibus quosdam, & in dies invalentibus fraudibus sufficeret, nodum istum (ut ita dicam) Gordium innumeris imposturis implexum & insolubilem prorsus rescindendum censuit Tridentina Synodus per absolutam officii quosdam abolitionem; cui mederi nec praedicta Concilia, neque alterum pariter generis: Concilium Lugdunense secundum sub Innocentio Papa quarto, relatum c. 1. de poenit. & remiss. illatenus prevaluerunt: Sed Tridentinum felicitus tot fraudes & publicas & scandalosas extinxit semel abolendo tam perniciosum officium, sess. 21. cap. 9.

Can. XXXVIII. Cum plures sint, qui propria salutis penitus negligentes nisi semel in anno propria peccata confitentur;

propter quod cum memoria hominum sit labilis, non bene possunt suorum memoriam habere delictorum, in magnam animarum suarum periculum. Nos huic morbo providere cupientes, praecipimus Curatis & Ecclesiarum Rectoribus, quatenus suos parochianos hortentur & inducant ad sua peccata confitenda in quinque solemnitatibus Domini praeter Pascha, scilicet in Pentecoste, in Assumptione Beatae Mariae, in festo Omnium Sanctorum, in Nativitate Domini, & in initio Quadragesime. Et fiant exhortationes Dominicis diebus supradictis festivitates praecedentibus.

5. Can. XXIX. Medicinalis artis Magistri, licet juxta Canonum statuta non debeant infirmis corporalem medicinam exhibere, nisi prius exhortatione facta per eos, quod sua peccata confiteantur: nihilominus idem Magistri tam sanctam & salutarem statum servare continentur in magnam praevindictam animarum, cum frequenter eveniat, quod infirmitatibus crescentibus & quam repente invalescentibus, plures sine confessione moriantur. Nos ideo supradictis Episcopis injungimus, quatenus Decretalem circa hoc editam, quae incipit: cum infirmitas, de panit. & remission. faciant inviolabiliter custodiri; prius tamen hoc praesenti statuto publice declarato, vel notificato populo, ne forsitan infirmi, cum per eos ipsos Magistros inducerent de salute animae cogitare, credant se in periculo mortis existere.

Pius Papa V. anno 1566. constitutionem Innocentii tertii renovavit, vetuitque Medicis visitationem aegrotorum lecto decubentium post diem tertium, (in quo mitigavit Innocentii decretum exigens a Medicis, ut a prima visitatione suos admovent aegrotos) nisi agritudine laborans peccata sua per sacramentalem confessionem eluerit & expiaverit.

Can. XXX. Inclite memoriae Bonifacius VIII. in sua Decretali, quae incipit: Quoniam ut intelleximus, de immunit. Eccles. lib. 6. vinculo excommunicationis innovavit omnes, qui impediunt causas tractari coram iudicibus Ecclesiasticis, quae de jure vel consuetudine tractari consueverunt. Et plures sunt simplices, & alii, qui forsitan propter ignorantiam supradictae Constitutionis excommunicationis vinculo inmodantur. Nos volentes eorundem periculum animarum obviare, omnibus Curatis & Rectoribus Ecclesiarum praecipimus, quatenus juxta generalem observantiam plurimum provincialiarum & diocesanae hujus regni intra Missarum solemniam Dominicis diebus pro excommunicationis cum solemnitate denunciant omnes, qui modo supradicta molestiam vel gravamen curis Ecclesiasticis inferre praesumant: Et hoc juxta Constitutionem praedictam: Quoniam ut intelleximus.

Can. XXXII. Canonica jura non sine magnis rationibus jubent matrimoniorum contractus in Ecclesia publice celebrari; scilicet propter Sacramenti dignitatem, reverentiam, & honorem in quo confertur gratia, sicut & in ceteris Sacramentis: & etiam ad tollendam omnem malam peccati suspicionem, cum plures existimare possent inter ipsos conjuges solum fore concubinatam, si de ipso matrimonio publice non appareret. His tamen non obstantibus, plures sunt, qui a Praelatis suis facilius obtenta licentia, non in ipsis Ecclesiis, sed in privatis Oratoriis matrimonium contrahunt & solemnizant, quod cedit in maximum ejusdem Sacramenti contemptum. Nos autem circa id providere volentes, omnibus Episcopis, Archiepiscopis, & Ecclesiarum Rectoribus sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae per mensem prohibemus, ne de cetero in privatis oratoriis solemnizationem matrimoniorum faciant, aut fieri dispenent: nisi forsitan subsit ingens vel necessaria causa, & non ficta, etiam pluribus presentibus.

6. Can. XXXIII. Insuper eisdem penis, & propter easdem causas, Episcopis, Archiepiscopis, & aliis quibus id de jure vel consuetudine competit, injungimus, ne de cetero ita facile dispenent super Bannis in matrimonio concedendis, etiam praetextu pecunie cuiuscunque, sicut haecenus dispenare consueverunt.

Provide statutum fuerat in generali Concilio Lateranensi quarto can. 5. Praedecessorem nostrum vestigiis inherendo clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse praesumat: (Et mox) Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbiteros publice proponantur, competentis termino praefinito, ut intra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. & ipsi Presbiteri nihilominus investigate, utrum aliquod impedimentum obstat. Habetur c. cum inhibito, de clandestina desponsatio. Vide causam 30. qu. 5. per totam.

7. Can. XXXV. Cum soli Clerici ad altare Domini, cum divina celebrantur, debeant accedere: omnibus Episcopis bu-